



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendivm Summæ Card. Toleti

Minucius, Genesisius

Sammieli, 1613

De speciebus excommunicationis cap. 5.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41701

Ecclesiæ orationibus, & suffragiis, cæteris non priuatur, nempe fide interiori, gratiæ & charitatis communione, atque particularium amicorum orationibus. Immo si contritus absolutionem obtinere studuerit, ea etiam non habita, communibus Ecclesiæ suffragiis iuuabitur. Hinc sequitur excommunicationem esse malû pœnæ pro culpa inflictum, peccato veniali de se leuius ratione tamen causæ qua fertur, & effectus qui inde sequuntur, grauius.

De speciebus excommunicationis.

Cap. V.

Bipartitur excōmunicatio in maiorem, & minorem. * Maior tribus priuat antedictis bonis; * Minor verò tantum sacramentorû participatione Vtraque duplex, à iure, & ab homine, à iure dicitur, quæ per aliqué canonem

fulminatur, vt contra clericorum percussores: AB HOMINE dicitur quæ ab aliquo iudice fertur. Hæc rursus subdividi solent in comminatoriam, quæ non statim ligat, sed iudicis sententiam expectat: & lata sententiæ, quæ statim ligat. Dignoscitur hæc ab illa, quia si dicatur sub pœna excommunicationis, aut excommunicetur; vel per aliud verbum futuri temporis, est comminatoria: si vero dicatur per verbum præteriti, sit ipso iure excommunicatus, vel ipso facto, est lata sententiæ. Differunt à iure, & ab homine, quia illa est semper generalis, hæc interdum particularis. Excommunicatio iuris viget etiam mortuo conditore quæ autem ab homine est, statim perit eo mortuo, sic vt neminem amplius ligare possit: non tamen ita vt qui ea iam ligati erant censeantur absoluti. Ab excommunicatione iuris nulli reseruata ab-

soluit Episcopus, non autem ab illa, quæ est ab homine. Illa ligat omnes contrarium agentes in ditione legislatoris, quamvis tempore legis datæ subditi non essent: Ista autem ab homine, ligat tantum subditos in iurisdictione iudicis commorantes dum fertur excommunicationis sententia. Demum inducta excommunicatio per statutum Metropolitanæ Archiepiscopi: ligat etiam subditos suffraganeorum: lata verò per ipsiusmet Archiepiscopi sententiã, cõprehendit tantum ipsius Diocesis subditos.

De causa efficienti, & materiali excommunicationis.

Cap. 6. 7. & 8.

Fœmina & laicus sine Pape commissione excommunicare nõ possunt, nec sacerdos, nec simplex curatus, nec qui excommunicati sunt in maiori: sed